

enim efficiet, vt, si testamentum eius quacunque de causa et propter defectum forte non praeuisum valere non possit vt scriptum, illud tamen seruetur adhuc, atque subsistat iure nuncupatiui.

XXXIII.

Huc usque a §. XXVII. primam considerauimus conclusionem practicam ex nostra testamenti scripti et nuncupatiui definitione efformandam, scilicet quod testamentum testibus praelectum, si vt scriptum valere non possit, subsistat tamen vt nuncupatiuum. Sequitur nunc secunda: Quod testamentum e contra non praelectum et testibus non manifestatum, si vt scriptum non valeat, iure nuncupatiui quoque valere non possit. Atque haec opinio non tantum secundum nostram definitionem, sed etiam secundum vulgarem valida est. Sententia vero contraria omnibus iuris principiis e diametro repugnat, adeoque in totum falsa, imo, vt loquitur HUBER. *Praelect. ad Inst. Tit. de Testam. ord. §. fin.* penitus monstrosa est et intolerabilis. Vt adeo mirer, hanc tamen opinionem suos adhuc nactam fuisse auctores; SANDIUS enim *L. IV. Tit. I. def. 9. in fin.* nec non VVLTEIUS *Resp. Marpurgens. Vol. I. Consil. XXXIV. n. 13. 14. p. 507.* defendunt, quod tale testamentum si valere non possit vt scriptum, subsistat tamen vt nuncupatiuum, etiamsi testibus non sit praelectum, idque ex praesumta testatoris voluntate. Enimuero non potest testator velle, aut voluntate sua efficere, vt leges in suo testamento non valeant. Leges autem disponunt, vt testamentum scriptum, h. e. vt supra definiuimus, cuius tenor testibus non manifestatur, haud aliter valeat, quam obser-